DE
ABSCESSU FRIGIDO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE XXIX. M. MARTII A. MDCCCXXXIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GEORGIUS FRIDERICUS KAHLE
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:
VICTORE WICHURA, MED. ET CHIR. DR.
GUSTAVO MAIZIER, MED. ET CHIR. DR.
LUDOVICO BOEHM, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

PHILIPPO LEOP. KAHLE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

In hocce opusculo conficiendo praecipue Ill. Rustii, praeceptoris summe venerandi, cui tenuem, quem habeo in chirurgia, cultum animo gratissimo debeo, usus sum libris.

Abscessum frigidum vel chronicum plerique ita definiunt, ut quamque esse dicant liquoris cujusdam purulenti collectionem in cavo quodam omnino clauso, cui perspicua inflammatio non antecesserit. In libro vero chirurgico Rustiano (1) abscessum frigidum eum esse, legimus, in quo torpor quidam praevaleat.

Ceterum tria habemus abscessuum frigidorum genera:

I. abscessum congestivum,

II. abscessum metastaticum,

III. abscessum lymphaticum,

de quibus singulis pauca sum dicturus.

I. De abscessu congestivo.

Abscessus congestivus, ut dicit Sommer (2),

(1) Rust. Handb. d. Chir. vid. sect. Abscessus.

(2) Rust. Handb. d. Chir. v. Abscessus.

tumor est purulentus, qui, ad superficiem corporis apparens, abscessus frigidi symptomata prae se fert, et qui magis minusve procul abest ab alio quodam loco aegrotante, quocum per ductus fistulosos habet commercium. Quare semper hicce abscessus morbus est secundarius, atque semper aliud quoddam corporis organum puris focum exhibet. Itaque oritur abscessus congestivus, quoniam pus, quod a sede sua ad superficiem corporis effluere non potest, in alia quadam parte colligitur. Quamquam, in tela cellulosa sedem habens, in omnibus corporis paıtibus invenitur, tamen abscessus semper inferiorem locum, quam morbus primarius, tenet, quum pus, leges gravitatis sequens, semper inferiora petat. Existit quidem abscessus congestivus in partibus superioribus trunci, attamen inferiores partes maxime sibi eligit, atque praecipue in regione lumbari, sacra, inguinali, ad perinaeum, vel ad scrotum, ad anum, ad labia pudendi, ad crura, apparet. Quem plurimi chirurgiae professores, in regione lumbari atque sacra apparentem, appellaverunt abscessum lumbarem atque psoadicum. Neque tamen idem est abscessus congestivus atque lumbaris et sacralis, quum abscessus in ea regione facile idiopathicum morbum sistat, nec non abscessus ejusdem regionis inflammationem ac

suppurationem partium mollium vicinarum, telae cellulosae, musculi psoae, musculi quadrati lumborum, peritonaei vel alius cujusdam abdominis organi subsequi possit. Quod autem raro evenit, dicit enim Rust, abscessum psoadicum facilius decies excipere arthrocacen vertebrarum lumbarium, quam semel inflammationem protopathicam musculorum psoarum. Solet oriri abscessus congestivus primum sine ullis inflammationis vestigiis in parte aliqua corporis, tanquam tumor exiguus saepiusque sensatio ingrata in eo organo antecedit, quod suppurationis sedem habet. Qui sensus in pressione quadam cernitur, vel in punctione, vel in pruritu, dum praeterea, urgente dolore trahente totius trunci, non modo gressus est impeditus, sed etiam stuporis aliquid cruribus inest, quare sedere aegroti malunt. Tamen in permultis casibus haecce symptomata nonnisi abscessu jam longius progresso observantur. Tumor ipse, coloris atque doloris expers et ubique manifestam fluctuationem offerens, duritiem ambientem, vel inflammationis symptomata ostendit nulla. Quare saepius metastatico abscessu discernitur, qui interdum, quamquam rarius, duritiem aliquam inflammatoriam, vel alia inflammationis signa in tumore ob oculos ponit. Quo autem maxime discernitur, illud est, quod mor-

bus primarius in abscessu metastatico subito cedit, dum congestivus vigente morbo primario, tanquam symptoma ejusdem, oritur. Utplurimum videtur tumor, sicut jam supra dixi, in parte trunci inferiori, quamquam interdum ad collum, ad humerum, in fossa axillari, in cruribus, imo in sura deprehenditur. Ceterum evanescit tumor premendo, fortiori exspiratione omnique alio corporis labore augetur, diminuitur vero conquiescente corpore. Tardius tantum crescit tumor et ambitum aliquem nactus, tanquam corpus alienum partes vicinas pressione gravat. Tegumenta cutanea, si abscessus medico auxilio plane caret, attenuantur, colorem recipiunt lividum, ortaque ruptura, postquam magna puris colluvies effluxit, ulcus amplum, laxum, relinquunt. Qui liquor effluit, serosus est, odore carens, flocculentus, atque interdum telam cellulosam emortuam, aut strias cruentas, aut ex varia puris sede, assulas ossium, vel particulas viscerum habet. Ulcus, rupto abscessu exortum, humorem quendam tenuem acrem malae indolis atque odoris, secernit. Quod ad valetudinem generalem attinet, quae initio, aliqua debilitate, turbata ciborum appetentia, exiguis motibus febrilibus exceptis, non nimis a norma recedit, postea maxima debilitas, febris hectica, colliquationes succedunt, et aegrotus,

postquam interdum abdominis et pectoris morbi accesserunt, vel longius vel brevius per tempus vexatus diem supremum obit. Etenim raro tantum medico contingit, ut, suppurationis foco exhausto, ulcus tam malignum coerceat, quo facto febris hectica cedit, atque aegrotus aut ex toto, aut relictis quibusdam morbis secundariis, restituitur.

Suppurationem organi alicujus interioris causam proximam abscessus congestivi exhibere, liquet, dum pus, quominus ad superficiem corporis erumpat, prohibitum, gravitatis leges sequens, ut supra dictum est, inferius demissum, tumorem producat. Plurimum caries est causa abscessus congestivi, eaque columnae vertebralis, ossium pelvis, costarum, vel basis cranii; multo rarius ille sequitur inflammationem atque suppurationem partium mollium. Caries vero plurimum osteitidem chronicam excipere solet, quae plerumque constitutionis vitiis, rheumatismo, herpete, arthritide, syphilide, maxime scrophulis, excitatur. Prognosis vulgo mala auguranda est, quoniam, si tumor erupit, malo jamjam inveterato, ad sedem suppurationis magnae devastationes ortae sunt, et quoniam dyscrasia praedisponens difficillime tantum expugnari potest, praesertim eapropter, quod brevi collapsus virium atque febris hectica accedere solent.

Eventus si faustissimus est, ita quidem, ut vita servetur, curvaturae columnae vertebralis, infirmitas partium quarundam, claudicationes, vel fistulae relinquuntur. Dividitur curatio in universalem atque topicam, quarum altera primum dyscrasiam praedisponentem vincere, deinde vero, durante morbo, organismi vitam aut augere aut deprimere, postea vires diaeta et medicamentis roborantibus adjuvare, demum colliquationes diminuere, molitur, nimias scilicet sedes, sudores et profusam suppurationem. Topica vero medela partim respicit suppurationis focum, partim collectionem puris, quarum altera fontem puris delere, altera sanationem devastationum, quae effectu et chemico et mechanico puris inductae sunt, efficere studet.

Quare necesse est, medicum indagasse sedem suppurationis, quod vero multis in casibus post mortem demum contingit. In quibus casibus caries costarum, vel ossium pelvis, causam praebuit abscessus congestivi, sedes cognoscitur instituta pressione in loco suspecto. Ubi vero, id quod saepissime fieri solet, spondylarthrocace causam tulit abscessus, sedes ejus methodo Rustiana detegitur, quae haec est: Medicus, aegroto in ventrem prostrato, a basi cranii ad utrumque latus processuum spinosorum digitos

indices premendo inferiorem partem versus deducit. Simulac ad locum descenderit laborantem, aegrotus motu aliquo raptim facto sedem suppurationis indicabit. Ibi ignis ita adhibetur, ut ad utrumque latus columnae vertebralis ferro candente, quod auctore Rust formam habet prismaticam, stria, quinque vel sex pollices longa, inuratur; quo facto suppuratio copiosa, quae subsequitur, remediis externis incitantibns alitur. Hic utimur igne in stadio tertio vel quartó cariei, ad efficiendam vel resorptionem, vel mortem particulae ossis aegrotantis.

Quod vero attinet ad curationem topicam collecti puris, abscessus ipsius, statim eum aperire, ut in abscessu calido fieri solet, non licet, quoniam ulcus fistulosum sequeretur, quo aegrotus profusis secretionibus, febri hectica, colliquationibus accedentibus, brevi periturus esset. Exstat vero indicatio, abscessum aut resolvendi aut maturandi. Resorbetur pus resolutione, quae resorptio multis in casibus aut ex toto, aut ex parte tantum contingit, quare, ut abscessus congestivus dividatur, moliendum est, nisi ejus nimius ambitus resorptionem adjuvari vetet. Haecce resolutio atque resorptio eo efficitur, quod vita tegumentorum cutaneorum augetur. Ad ejusmodi remedia resolventia pertinent fomenta-

tiones calidae ad abscessum adhibitae, ex aceto, aqua, sale culinari, vel ammonio muriatico paratae, infrictiones linimenti volatilis cum Camphora atque Opio, vel unguenti hydrojodici, nec non applicatio emplastrorum incitantium, ut emplastri de Galbano crocati, emplastri gummi Ammoniaci, emplastri Hydrargyri cum Camphora atque Opio. Optimum vero remedium resolvens est pressio ipsius tumoris initio lenis, postea aucta. Premitur vero commodissime habenulis emplastri adhaesivi circularibus, attamen etiam ligaturis, aut laminis lapideis vel plumbeis comprimi potest. Curatione universali adjuvari topicam, est necesse, ac fame, remediis purgantibus atque vomitoriis resorptionem augeri, aegrotis adhuc validis atque bene nutritis, infirmis vero jamque macie aliqua confectis, hoc curationis genus rejiciendum et contra diaeta leniter incitans imperanda est, adhibitis balneis tepidis, quibus sal culinare, cinis, atque species aromaticae adjungi possunt.

Sin fieri non potest, ut abscessus congestivus propter nimium ambitum resolvatur, evacuatio est indicata. Quam vero non statim fieri oportet, nisi ea subsequi velis, quae jam supra memoravi; sed prius ea inflammatio per totum tumorem est evocanda, qua fieri potest, ut evacuatione facta, fundus

concrescat cum tegumentis cutaneis, atque ulcus fistulosum laxum caveatur. Quod obtinetur magna inflammatione tegumentorum cutaneorum, quae posthac cum toto ambitu abscessus communicatur. Producitur vero haecce inflammatio auctore Rust vario modo pro varia magnitudine tumoris, prout tumoris magnitudo aut pomum parvum, aut pugnum adulti, aut caput infantis non superat.

Primo in casu lapide infernali complura loca in ambitu totius tumoris magnitudine monetae parvulae aduruntur, quorum singula pollicem dimidium vel paullo amplius distant. In altero complures moxae ad tumorem applicantur, in tertio adhibetur ferrum candens, dum ferro quodam prismatico striae ducuntur complures oblongae, quarum singulae pollicem inter se distant, omnes autem habent tumoris longitudinem. Quare si tegumenta cutanea bene sunt inflammata, postquam crustae dejectae sunt, atque in ulcere ipso per aliquantulum temporis suppuratio fuit copiosa, tumor potest aperiri atque humor evacuari. Quo facto exitus est faustissimus, si, exorta inflammatione aut adhaesiva aut suppurativa, per totum tumoris ambitum parietes concrescunt. Aperitur vero tumor aut cauterio, aut incisura, aut setaceo. Ceterum Rust plurimum incisuram praefert, quam

vero non minorem facit, sed tumorem juxta totam longitudinem dissecat, quare, nova producta inflammatione in tegumentis cutaneis, ulcus aptis remediis externis curat. Simul falsum esse annotat, quod veteres crediderint, aërem tale ulcus gravare. Alia aperiendi methodus est lapide infernali fortius impresso, ut posthac, dejecta crusta inflammatoria, auctore Beinl lanceola incidatur.

Praeterea etiam setaceo potest aperiri, idque Ph. a Walther (1), qui in ulceribus bene sitis ad basin tumoris duas facit incisuras majores, quibus factis setaceum inserit, quo per diem dimidium ad triduum relicto, inflammatio intensa apparet.

Quare semper dilatatio optima est methodus, at reliquis violentior. Verum etiam, ipso auctore Rust, postquam tumores magnos ad longitudinem candente acu triquetra perforaveris, specillo auriculato habenulam linteam trajicere licebit, ut gravior in parietibus abscessus evocetur inflammatio. Quae habenula horis XII vel XXIV elapsis removeatur, quo facto, si nondum adest inflammatio, ad efficiendam adhaesionem vel suppurationem necessaria, intensa inflammatio injectis incitantibus, ut decocto

---

(1) System d. Chir. Lymphgeschwulst.

Chinae, vel Quercus, cum tinctura Myrrhae, vel auctore Rust solutione Hydrargyri muriatici corrosivi vel aqua fervente, vel auctore Hasse solutione Hydrargyri nitrici produci potest. Conglutinatio, si inflammatio successit, ligatura comprimendo apta potest adjuvari, ut parietes abscessus aut per primam intentionem aut per granulationem ad concretionem adigas. Sin his omnibus inflammatio inducta est nulla, dilatationem fieri necesse est, atque ulcus laxum remediis externis aptis ligari. Quod vero ad punctionem attinet, quae a permultis laudatur iis tantum casibus eam esse consentaneam arbitror, quibus tumor sit parvus, valetudo universa mediocriter tantum turbata, neque adsit complicatio cum carie, rebus autem contrariis statim dilatationem esse faciendam. Rarissime tantum dilatatione facta inducitur, normalis atque secretio, quo in casu medico nihil superest, quam ut externas injurias removeat. Quare blanda utatur aegrotus diaeta, vitet omnes cibos incitantes atque potiones; lavetur vulnus aqua tepida, linteoque tegatur. Si res bene procedunt, tegumenta et fundus abscessus concrescunt, cicatricem inducit vulnus, cultro factum, quae habenulis nonnullis emplastri potest diminui. Plurimis vero in casibus planum secretorium aliter sese habet, aut plus aut mi-

nus puris edit; si minus, necesse est, cum ejus rei causa cernatur in vis vitalis inopia, suppurationem unguentis incitantibus adjuvari, ut unguento Terebinthinae, balsamo Frahmii, balsamo Arcaei, vel unguento basilico, cui Rust tincturam Myrrhae addere solet, denique unguento Mercurii (1) praecipitati rubri. Sin plus puris secernitur, cujus causa in abscessu congestivo etiam pendet ab inopia vis vitalis, aegroti vires sunt reficiendae; pus vero ipsum diminuendum. Reficiuntur vero vires China, Lichene Islandico atque remediis amaris sumtis, inter quae praecipue Calamus aromaticus est laudandus, qui vero auctore Rust in quolibet pectoris morbo sumi non debet.

Quod attinet ad diminuendam puris secretionem, maxime utilia erunt remedia externa sicca, ut pulvis florum Chamomillae, carbo, et uti suadet Rust (2) adjuncta Camphora ac Myrrha, magnopere est laudandus pulvis Mercurii praecipitati rubri in planum secretorium inspersus.

---

(1) Rec.

Ung. basil. ℥j
Tinct. Myrrhae ℥ijj.

(2) Handbuch der Chirurg. Sect. congest. Verba scriptoris.

Si hisce remediis adhibitis, secretio quidem diminuta, nihilominus tamen ulcus laxum sit, ad locum modo dictum applicari jubent aquam calcariae chloricae, aquam phagedaenicam, solutionem lapidis infernalis cum Opio (1), succum expressum Plantaginis angustifoliae, vinum camphoratum. Praeterea addo, secretionem ulceris a digestione pendere, quare, si quae sordes primarum viarum inveniuntur, statim sive vomendo sive purgando removeantur necesse est. Ceterum si curatio feliciter cessit, aut exeunte aut plane finita curatione remedia ad dyscrasiam praedisponentem, si adest, vincendam necessaria praescribantur.

II. De abscessu lymphatico.

Abscessus lymphaticus tumorem initio parvum, paullatim crescentem exhibet, qui immobilis et fluctuationis sensum efficiens, omnibus doloribus caret, cujusque tegumenta cutanea colorem non alienatum ostendunt. Quae vero tegumenta, exorta inflammatione, mollia fiunt atque tenuia; facta ruptura contenta fluida evacuantur, et reproducta perpetuo ef-

---

(1) Rec.

Arg. nitr. fusi ʒß
Solve in Aq. Cham. ℥vj
Tinct. Opii simpl. ʒjß

fluunt. Liquor, qui inest, colore griseus, turbidus, sedimentosus atque puri tenui similis apparet. Cavum, quo pus inclusum est, superficiem habet asperam, rubram, inflammatam fereque membranae mucosae speciem prae se gerit.

Qui abscessus ex internis tantum causis oriuntur, constitutione laxa, debili, cachectica, vel, si adsunt, e dyscrasiis. Inveniuntur in omnibus corporis partibus externis, in tela cellulosa sub cute, vel sub alia fascia. Plerumque saepius ad extremitates inferiores conspiciuntur, quam ad superiores, saepius in dorso quam in abdomine, saepissime vero inter scapulas, in regione inguinali, in fossa axillari, parte laterali pectoris, parte inferiore colli, omnino in laevo corporis latere magis quam in dextro, crebrius in mulieribus et infantibus, quam in viris. Non raro complures abscessus lymphatici eodem tempore apparent, vel alio evanescente, alius erumpit. Jamjam incunte abscessu valetudo universa paullulum disturbatur, appetitus ciborum diminuitur, fatigationes facile animi et corporis labores consuetos nec nimis difficiles sequuntur, somnus crebro interpellatus.

Tamen adhuc febris adest nulla. Paullatim vero ambitus abscessus augetur, at incrementa tarda sunt, ita ut saepius demum post tres menses, vel sex, ma

ximum ambitum abscessus adipiscantur, et interdum capitis infantilis magnitudinem adaequent. Tunc vero tegumenta rubescunt, simul accedente febri, quae eodem gradu augetur, quo tegumenta mutant colorem et attenuantur. Tandem, facta ruptura, febris aperte hectica apparet, digestio evertitur, summa virium labes, languor atque colliquationes superveniunt, quibus aegrotus post longas calamitates, plerumque anno elapso, diem supremum obit. Tunc quidem tumor, qui antea omnibus doloribus caruit, dolere incipit, simulac tegumenta cutanea rubescunt, rarius autem, ipso ineunte abscessu, in quo loco erumpit, sensus quidam pruriens vel premens animadvertitur. Ita decurrit morbus, omni arte major.

Causae praedisponentes sunt, ut supra dixi, constitutio corporis laxa, debilis, cachectica, dyscrasia scrofulosa, rheumatica, arthritica, syphilitica, mercurialismus, morbi impetiginosi. Inter causas vero occasionales rarissime observantnr laesiones mechanicae, sed magis insultus, qui reproductionis opus turbant. Quo praecipue pertinent domicilium in regione humida, cibi dyspepti, animi affectus deprimentes. Etenim externae injuriae fortasse locum tantum determinabunt, ubi abscessus lymphaticus oriatur. Ceterum inter alios chirurgi antiquiores perhibent, cau-

sam abscessus lymphatici esse rupturam trunci vasorum lymphaticorum, vel unius vel complurium, quamobrem contenta abscessus in lympha vera consistere. Quam opinionem praecipue Beinl (1) profitetur, qui contendit, abscessum lymphaticum lympha vera formari, quae rupto trunco vasorum lymphaticorum adhibita vi externa, evaserit. Contra annotat Ph. ab Walther (2): vasa lymphatica non facile rumpi, sed parietes habere multo crassiores, quam venas, atque post injectionem columnae Hydrargyri pondus optime sustinere, dum venae eodem pondere facillime divellantur; praeterea vero, injectione post mortem facta, minime commercium vasorum ruptorum cum abscessu lymphatico inventum esse. Ceterum, pergit Walther, experientia compertum habemus, lymphae fluxum, si vero ruptura vasorum lymphaticorum ex causa traumatica aborta sit, brevi cessare et si quando continuetur, non tam male reproductionem afficere, quam abscessu lymphatico fieri videamus. Huc accedit, quod contenta hujus abscessus non verae lymphae adeo similia sunt, etenim ne alba quidem inveniuntur, nec satis fluida, sed similia puri seroso, fluido, malo. Plu-

(1) Bell's Chirurg. Th. 7.

(2) System. d. Chirurg. Cap. Lymphgeschwulst.

rimi chirurgi, causam proximam abscessuum lymphaticorum cerni in subinflammatione lenta telae cellulosae, energiae experte, quae ad producendum pus bonum atque normale requiratur, defendunt, quamobrem secretum tenue ac serosum inveniatur, id quod etiam Philippus a Walther (1) et Chelius (2) probant. Quae causa licet multis in casibus subsit, quum saepius, ut jam supra dixi, in eo loco, quo abscessus est erupturus, sensus pruriens et leviter pungens, qui leve inflammatoriae affectionis symptoma sistit, percipiatur, tamen solam causam ponendam esse in inflammatione, non est veresimile, quum inflammatio, quae producat tantam puris copiam, quantam invenimus in abscessu lymphatico, sine dubio aliquibus signis sese manifestaret. At saepissime, abscessui lymphatico nullum antecedere symptoma, ne congestionis quidem, videmus.

Quare, si licet propriam profiteri opinionem, sententiae adstipulabor, quam Sommer edidit (3), causam proximam abscessus lymphatici esse in dyscratica sanguinis indole, accedente forsan atonia

(1) Ph. ab Walther. Syst. d. allgem. Chirurg. Cap. Lymphgeschwulst.

(2) Chelius Handb d. Chir. Cap. tumor lymphatic.

(3) Rust Handb. d. Chirur. Cap. Lymphabscess.

parietum vasorum, quibus rebus seri ac lymphae plasticae fiat exsudatio. Neque tamen supra negatur, inflammationem lentam idem posse efficere, sed, talem inflammationem solam exhibere causam, disputatur. Ceterum fieri potest, ut pruritus et pressio, quae sentiuntur ineunte abscessu lymphatico, efficiantur primis guttulis fluidi, modo supra dicto effusi, quod materiae alienae instar mechanice partes vicinas gravans, congestionis symptoma producat. Etenim postea sine dubio inflammatio oritur secundaria, quae format membranam, mucosae similem, qua pus tanquam involucro utitur.

Has protulisse conjecturas sufficiat. Celeberrimus praeceptor Rust favet opinioni antiquiorum chirurgorum et haec in praelectionibus docet: Tumoris lymphatici causa proxima est effusio lymphae verae in telam cellulosam, vel in aponeuroses. Est vero necesse, antecedere huic fluxui laesionem, vel rhexin vasorum lymphaticorum. Quae vero rhexis semper sequitur morbum systematis lymphatici, et totius corporis et praecipue vasorum partis laborantis, ubi vasa, omni vi vitali destituta, imprimis facultate carent lympham effusam resorbendi. Sex stadia tumoris lymphatici Rust distinguit: primum opportunitatis, ubi plerumque paucae tantum-

modo perturbationes valetudinis universae animadvertuntur; secundum, eruptionis, in quo elevatur tumor parvus manifeste fluctuans; in tertio, incrementi, dolores nondum sentiuntur. Ne in stadio quidem quarto, scilicet perfectionis, valetudo relativa initio est affecta, sed subito transit in quintum, corruptionis, in quo lympha mutatur in materiam puriformem et putrida fit. In eo est differentia inter tumorem lymphaticum et abscessum, quod in altero contineatur lympha vera, in altero materia puriformis, quare usque ad stadium quartum tumor lymphaticus appellatur, posthac vero abscessus dicitur. Simulac abscessus adest lymphaticus, tumor fit dolorificus, rubescunt tegumenta cutanea atque incipit febris hectica. Nunc tandem rhexeos stadium subsequitur, inflammantur tegumenta magis magisque, factaque ruptura, post largam materiae puriformis evacuationem, ulcus magnum laxumque relinquitur, quod per colliquationes brevi mortem inducit. Ita auctore Rust morbus decurrit, si sibi committitur. Pertinent vero ad causas disponentes, variae dyscrasiae, ut scrophulosis, arthritis, deinde impetigines. Causam occasionalem semper esse rhexin trunci alicujus majoris vasorum lymphaticorum, auctor asse-

rit. Ceterum etiam Nasse (1) narrat, tumorem ortum esse in juveni quodam satis robusto ad partem superiorem crurum illata vi externa, cujus contenta fuerint lympha vera. In quo morbo aegrotus statu hectico pereundi periculum subiit, et non nisi solutio Hydrargyri nitrici vasa lymphatica divulsa conclusit atque sanationem effecit. Qui casus etiam probat, fieri posse, ut tumores lymphatici eo oriantur, quod lympha vera intret telam cellulosam.

De diagnosi praeterea est addendum, abscessum lymphaticum ab aliis abscessibus frigidis praecipue eo discerni, quod symptomata affectionis universalis secum ferat. Semper quidem prognosis admodum est dubia, paullo tamen melior, si fieri potest, ut morbus universalis, dyscrasia, removeatur, si praeterea tumor est parvus, neque per longum tempus exstitit, et tegumenta cutanea neque dolorifica neque inflammata fuerunt. Sin abscessus magnum nactus est ambitum, tegumentis jamjam rubefactis, si forsan complures abscessus una adsunt, et si febris hectica insuper accessit, prognosis multo est pejor. Curationem hic quoque et universalem et topicam esse

(1) Archiv d. medicinischen Erfahrungen von Horn, Nasse, Hencke.

liquet, quarum prior respiciat dyscrasiam et praecipue vires attente curet. Quod ad curationem topicam attinet, primum addo, mortem induci ruptura abscessus spontanea. Tres vero exstant indicationes: I. removeatur humor contentus; II. supprimatur secretio anomala; III. conglutinentur parietes ulceris. Primae indicationi aut aucta resorptione, aut evacuatione artificiali satis fit. Quarum illa, faustissimis tantum in casibus, parvis tumoribus, initio morbi, constitutione bona, contingit. Resorptio methodo Rustiana, quam in abscessu congestivo memoravi, lapide infernali efficietur, quare simul in fundo ulceris inflammatio producitur, ita ut fundus cum tegumentis concrescat. Haec res paucissimis vero in casibus evenit, et si resorptio non successerit, evacuatio est indicata. Quae non secus fit, ac in abscessu congestivo, aut incisione, aut cauterio, aut setaceo. Vel post evacuationem interdum, si felicissime omnia cedunt, parietes tumoris concrescere incipiunt, ubi ulcus, secundum quantitatem et qualitatem puris secreti, sicut in aliis abscessibus frigidis, exacte curatur, quare ad medelam abscessus congestivi lectorum animos remitto. Saepissime aperto tumore lymphatico fistula parva restat, ex qua quotidie nonnullae guttulae effluunt. Neque tamen, quum aegrotus relativa

gaudeat valetudine, ut vi fistula claudatur, praecipiendum est.

III. De abscessu metastatico.

Abscessus metastaticus auctore Sommer (1) is est, qui oritur post sublatas secretiones normales vel anomalas, aut organorum singularium, aut totorum systematum. Quare ab eo, quod functio vel secretio aliqua ab alio organo in aliud transfertur, originem ducit. Neque vero est necesse, ut nonnulli putant, abscessum priorem facere hancce metastasin, sed e suppressa secretione quadam normali potest prodire, id quod in abscessu lacteo videmus, qui suppressionem lactis sequitur, quam secretionem normalem esse, nemo ignorat. Tarde abscessus metastaticus utplurimum crescere solet, quamquam interdum cito augetur; sequitur multas injurias vel externas, vel internas, partim acutas, partim chronicas, atque in iis praecipue organis formari solet, quae cum organo, cujus secretiones cesserunt, aliquam necessitudinem alunt, quod vero non semper fiat necesse est. Orientem abscessum saepius symptomata impetuosa comitantur, quae secretionem modo suppressam sequen-

(1) Rust. Handb. d. Chirurg. Sect. abscessus metastaticus.

tes, statim desinunt, simulac, abscessu quasi constituto, secretio copiosa esse coepit. Sunt vero haecce symptomata: febris magis minusve gravis, interdum deliria, spasmi, colica, dolores et tumor in eo organo, in quo abscessus erupturus est. Eo vero exculto, symptomata modo memorata recedunt, neque aliter ab aliis abscessibus frigidis discernitur. Ceterum apparent abscessus metastatici sine ullis inflammationis vestigiis, et raro tantum duritie inflammatoria circumdantur, vel alia signa inflammatoria ostendunt, quamquam postea rubor quidam erysipelatosus pus in fundo abditum prodere potest. Itaque oriuntur abscessus metastatici, uti jam docet nomen, post aliquam metastasin; quare, si apparuerunt, eorum causa aut prorsus tollitur, aut certe diminuitur. Plerumque morbi febriles, febres nervosae vel putridae, saepissime vero morbi exanthematici iis antecedunt. Qui vero morbi primarii, abscessu orto aut plane cedunt, aut maxime levantur. Eadem etiam re praecipue distinguuntur ab abscessu lymphatico, quippe alia symptomata admodum sunt similia. Ceterum si abscessus metastatici excipiunt affectionem topicam, vel vulneris suppurantis, vel alius cujusdam secretionis, seu normalis, seu anomalae suppressionem, causa

proxima secundum sententiam in libro Rustiano (1) editam cernitur in phlebitide, eo in loco orta, qui initio secretioni praefuit; qua inflammatione pus producitur, quod sanguini admixtum ejus indolem mutat, eique stimulum aliquem affert, quo in loco opportuno inflammationes magis minusve manifestae puris formationem efficiunt. Et metastaticus abscessus eo, quod morbus primarius subito cessat, aut demum diminuitur, differt a congestivo, cui, quod ad cetera symptomata attinet, ita est similis, ut vel Schmalzio pro eodem sit habitus. Insuper persistit morbus primarius in abscessu congestivo. Variat prognosis abscessuum metastaticorum, etenim gravitatem secretionis suppressae, atque organi, ad quod facta est metastasis, et ambitum abscessus respicit. Quare si febris quaedam metastaticum fecit abscessum in tela cellulosa femoris non nimium, bona forsan prognosis haberi potest, at si lacte suppresso inflammatio metastatica atque suppuratio in organis abdominis aut pectoris, vel encephalitis producta est, prognosis mala vel pessima appellanda est. Quod ad medelam, abscessum metastaticum quam citissime maturare et contenta evacuare studeas, ne

---

(1) Rust. Handb. d. Chirurg. Cap. Lymphgeschwulst.

que resolutionem moliaris, quae, quum abscessus metastaticus sit actio vicaria alius morbi, si bene succederet, denuo morbum primarium provocaret. Denique evacuationem initio morbi factam, ulcus fistulosum, effluxus perpetuus puris tenuissimi, vires aegroti consumentis, febris hectica et mors sequentur. Ceterum abscessum, inflammando tegumenta cutanea, secundum praecepta in congestivi abscessus curatione proposita, maturabis. Neque alia est evacuatio, atque cetera ulceris curatio, ac abscessus congestivi, sicut etiam curatio universa vitam organismi partim augere partim deprimere, partim vires evehere atque febrem hecticam ad praecepta communia curare moliatur.

VITAE CURRICULUM.

Ego Georgius Fridericus Kahle, die XVI mensis Martii A. MDCCCXI natus patre Philippo, Consiliario referente in ministerio supremo, quod rebus intimis praeest, atque matre Guilelma e gente Schulziana, fidei evangelicae sum addictus. Primis literarum elementis jamjam eruditus, A. MDCCCXX Gymnasium adii Berolinense, quod floret nomine Friderici Guilelmi, et per annos octo atque dimidium frequentavi. A. MDCCCXXVIII rite testimonium maturitatis nactus sum. Die XXII mens. Octobris ejusdem anni ab Illustrissimo Klenze, Rectore Magnificentissimo inter cives academicos universitatis literariae

Berolinensis exceptus, quum rebus cameralibus operam essem daturus, a beato Schmalz, Facultatis Juridicae maxime colendae Decano, juris studiosorum numero adscriptus sum. Post tres vero annos atque dimidium, consilio capto, ad artem hippocraticam animum advertendi, die XXVII mens. Martii A. MDCCCXXXII a beato Rudolphi, illo tempore Facultatis Medicae gratiosae Decano, in numerum studiosorum Medicinae transcriptus sum, et ex eo tempore ad litteras medicas incubui. Per annos quinque et dimidium praelectiones frequentavi, quae sequuntur.

Institutiones atque historiam juris Romani me docuit, Ill. Gans. Geographiam generalem, Ill. Ritter. Historiam regni Borussici, Cel. Stuhr. De nonnullis orationibus Ciceronis, Cel. Zumpt. Analysin, Cel. Ohm. Historiam reformationis patriae, Ill. a Raumer. Pandectas juris enucleati, Ill. a Savigny. Stipendia nostrorum inter annos 1813, 1814, 1815, Cel. Stuhr. Chemiam experimentalem Ill. Mitscherlich. Politicam regnorum Europaeorum, Ill. Hoffmann. Electricitatem atque magnetismum, Ill. Erman. De Galvanismo, Ill. Pohl. Politicam regni Borussici, Ill. Hoffmann. De origine atque incremento regni Borussici, Cel. ab Henning. Meteorologiam, Cel. Dove. Physicen experimentalem. Cel. Turte. Physiologiam, Beat. Rudolphi. Osteologiam, Ill. Schlemm. De organis sensuum, idem. Zoologiam atque botanicen medicam, Ill. Schultz. Botanicen atque familias plantarum, Ill. Kunth. Splanchnologiam, anatomiam universalem, syndesmologiam, de organis sensuum et artem cadaverum rite dissecandorum me docuit Ill. Schlemm. Pathologiam generalem et therapiam Cel. Becker. Pathologiam specialem, Ill. Horn. Materiam medicam Ill. Osann. In operationibus perficiendis eruditus sum per Ill. Schlemm. Exercitationes clinicas secutus sum Ill. Professorum: Ill. Rust, Cel. Dieffenbach, Ill. Bartels et Cel. Wolff.

Nunc, tentamine tam philosophico quam medico atque examine rigoroso rite superatis, fore spero, ut summi in chirurgia et medicina honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Kali causticum optimum est remedium ad delenda venena animalia.
2. Carcinomatis causa est propria aliqua dyscrasia.
3. In necrosi pars ossis mortua arte non est removenda.
4. Medici reprehendendi sunt, qui hypothesibus indulgent.